CALENDARIUM

IN USUM DIŒCESIS BASILEENSIS

IANUARIUS

3 *Commemoratio S. Marii Ep. Lausann. et Conf.* Comm.
21 S. Agnetis Virg. et Mart. . . . . III cl.
Commemoratio S. Meinradi Mart.

FEBRUARIUS

21 Ss. Germani et Randoaldi Mm. . . . . III cl.

MARTIUS

6 Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. . . . . III cl.
Commemoratio S. Fridolini Conf.

APRILIS

19 S. Leonis IX Papæ et Conf. . . . . III cl.

MAIUS

9 S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct. . . . . III cl.
Commemoratio S. Beati Conf.
16 S. Ioannis Nepomuceni Mart. . . . . III cl.
Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf.
29 S. Ragnacharii Ep. Basil. et Conf. . . . . III cl.
Commemoratio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg.

IUNIUS

27 S. Burchardi Conf. . . . . III cl.

IULIUS

11 *Commemoratio Ss. Placidi Mart. et Sigisberti Conf.* . . . . . Comm.
Commemoratio S. Pii I Papæ et Mart.
15 S. Henrici Imp. et Conf., Patroni secundarii diœc. Basileen. . . . . II cl.
24 Ss. Ursicini et Wandregisili Conf. . . . . III cl.
Commemoratio S. Christinæ Virg. et Mart.

16 S. Joachim Patris B. Mariæ Virg., Conf. II cl.
Commemoratio S. Theodoli Ep. Sedunen. et Conf.
26 *Commemoratio S. Gebhardi Ep. Constantien. et Conf.* . . . . . Comm.
Commemoratio S. Zephyrini Papæ et Mart.

SEPTEMBER

1 S. Verenæ Virg. . . . . III cl.
Commemoratio S. Ægidii Abb.
Commemoratio Ss. duodecim Fratrum Mm.
2 B. Apollinaris a Posat Mart. . . . . III cl.
Commemoratio S. Stephani Regis, Conf.
22 Ss. Mauritii et Soc., Mm. . . . . III cl.
Commemoratio S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf.
25 **S. NICOLAI DE FLÜE CONF., PATRONI PRINCIPALIS HELVETIÆ** . . . . . I cl.
26 **IN DEDICATIONE ECCLESIÆ CATHEDRALIS SOLODORI** . . . . . I cl.
30 **SS. URSI, VICTORIS ET SOC. MM., PATRONORUM ECCL. CATHEDR. ET PATRONORUM PRINCIP. DIŒCESIS BASILEEN.** . . . . . I cl.

OCTOBER

1 S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct. . . III cl.
Commemoratio S. Remigii Ep. et Conf.
2 Ss. Angelorum Custodum . . . . . III cl.
Commemoratio S. Leodegarii Ep. et Mart.
16 S. Galli Abb. . . . . III cl.
Commemoratio S. Hedwigis Vid.

NOVEMBER

3 S. Idæ Virg. . . . . III cl.
13 S. Himerii Conf. . . . . III cl.
Commemoratio S. Didaci Conf.
16 S. Othmari Abb. S. Galli . . . . . III cl.
Commemoratio S. Gertrudis Virg.
26 S. Conradi Ep. Constant. et Conf. . . . . III cl.
Commemoratio S. Silvestri Abb.
Commemoratio S. Petri Alexandr. Ep. et Mart.

DECEMBER

3 S. Francisci Xaverii Conf. . . . . III cl.
Commemoratio S. Lucii Ep. Curiensis et Mart.

IN ECCLESIIS PARTICULARIBUS

5 martii	Solodori, in eccl. cathedr. : Inventio Reliquiarum Ss. Ursi, Victoris et Soc., Mm.	III cl.
26 martii	in pago Schaffhusensi : *Commemoratio B. Eberhardi de Nellenburg Conf.*	Comm.
22 iulii	in pago Thurgov. et Schaffhus. : **IN DEDICATIONE PROPRIÆ ECCLESIÆ**	I cl.
5 augusti	in pago Tugiensi : **S. OSWALDI MART., PATRONI CIVIT. TUGIENSIS**	I cl.
22 septembris	in civitate Lucerna : **SS. MAURITII ET SOC., MM., PATRONORUM CIVIT. LUCERNÆ** . . .	I cl.
2 octobris	in pago Lucernen. : **S. LEODEGARII EP. ET MART., PATRONI CIVIT. LUCERNEN.**	I cl.
5 octobris	ibidem : Ss. Angelorum Custodum (e die 2 huius)	III cl.
10 octobris	in pago Lucernen. : **IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROPRIÆ** .	I cl.
15 octobris	in pago Argoviensi : **IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROPRIÆ** .	I cl.
12 novembris	in pagis Basil., Bern., et Solodor. : **IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROPRIÆ**	I cl.

FESTUM MAII

Die 29 maii

S. Ragnacharii

Episcopi Basileensis et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. **Ad societátem.**

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homilia 29 de S. Eusebio

Lectio iii (De Communi)

Beáti Patris Ragnachárii mérita, iam in tuto pósita, secúri magnificémus; qui, gubernáculum fídei viríliter tenens, áncoram spei tranquílla iam in statióne compósuit, et plenam cæléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in lítore collocávit; qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus? — Ragnachárius, in monastério Luxoviénsi sancti Eustásii abbátis discípulus, circa annum sexcentésimum vicésimum uti epíscopus Ecclésiam Augustánam et Basileénsem rexit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui in corde beáti Ragnachárii Confessóris tui atque Pontíficis, ignem tui amóris accéndere dignátus es: da; ut eódem caritátis ardóre ab omni labe peccáti mundémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti: da; ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Deus, qui in corde, ut supra.

FESTUM IUNII

Die 27 iunii

S. Burchardi

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii (De Communi)

Beáti Burchárdi dies, cuius festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit. Síquidem hódie Beátus iste ad tranquíllam omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit; eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem aut dolórem. — Sanctus Burchárdus sæculo procedénte décimo tértio parœciæ Beinwilénsi prope Muros sitæ sanctíssime præfuit. Te Deum.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui nos beáti Burchárdi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cuius natalícia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

FESTA IULII

Die 11 iulii

Ss. Placidi

Martyris

et Sigisberti

Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Facnos, quæsumus, Dómine, sanctórum tuórum Plácidi et Sigisbérti semper festa sectári: quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. (Per Dóminum.)

Deinde fit commemoratio S. Pii I Papæ et Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Die 15 iulii

S. Henrici

Imperatoris et Confessoris Patroni secundarii diœcesis Basileensis

II classis
(Officium semifestivum)

Ad Matutinum

Invitatorium, hymnus, antiphonæ et psalmi de Communi Confessoris non Pont.

In I Nocturno lectiones **Beátus vir**, de eodem Communi loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Henrícus e duce Bavariæ Germániæ rex, ac deínde Romanórum imperátor, cognoménto Pius mérito appellátus: ab ineúnte ætáte, lítteris et sanctíssimis móribus óptime institútus, cum Cunegúnde Mosellániæ ducis fília in matrimónium ducta pie et caste vixit. Ottóne tertio e vivis subláto, Henrícus rex, magno príncipum impérii consénsu, ac totíus Germániæ appláusu imperátor renuntiátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Mira gessit pro christiána religióne quaquavérsum propagánda, et pro império sancte administrándo. Nihil sine précibus ággredi sólitus, Románam Ecclésiam amplíssimo diplómate remunerátus, eiúsdem tuéndæ causa, bellum advérsus Græcos in Apúliam felíciter suscépit. Stéphanum Hungarórum regem, data ei in matrimónium soróre sua, totúmque regnum illud ad Christi fidem tradúxit. Bohémiam, Sarmátiam et Slavóniam, cælésti magis quam humána ope, partim império partim Christi regno subiécit. Angelum Dómini ac Mártyres patrónos suos in pugnis sæpius hábuit. Benedíctum octávum prófugum excépit, et suæ Sedi restítuit. Bambergénsem episcopátum hereditáriis ópibus fundátum, beáto Petro Romanóque Pontífici vectigálem fecit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit

um Dóminus lorícam fídei et ornávit eum. ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Basileénsem quoque episcopátum et eclésiam, máximis impénsis restaurátam, novis provéntibus liberalíssime sub Adelberóne epíscopo auctam: uti et Argentinénsem, Magdeburgénsem, Hildesiénsem, Passaviénsem, Ratisbonénsem aliásque plúrimas per Itáliam, Gálliam, et Germániam aut de novo eréxit, aut labefactátas restaurávit et amplíssimis donis remunerátus est. Tandem plúribus áliis rebus præcláre gestis et illústribus religiósæ munificéntiæ vestígiis passim relíctis, anno regni et impérii sui vicésimo áltero anno salútis millésimo vicésimo quarto migrávit in cælum, sanctitáte et miráculis quam sceptro imperióque clárior, sepúltus Bambérgæ magno cum honóre, póstea ab Eugénio tértio Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 8 in Lucam

Bonus ordo, ut vocatúrus gentes et Iudæos iussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur: nihil déderat pópulo Iudæórum, unde póterat mélior fíeri, ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lúcernam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus; ille duplícia, id est, mýstica legis, et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta, et duo talénta pósuit: in quinque taléntis, ut sint morália, in duóbus utrúmque, mýsticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus ex-

spectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. Glória Patri. Et.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et hic póssumus decem mnas, decem verba intellégere, id est, legis doctrínam, quinque autem mnas magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in omnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Iudæis dicit, duo póli multiplicátam pecúniam déferunt, non ítique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cæléstis usúra. Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Antiphonæ de Communi, psalmi de dominica.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti: te súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecísti, ita nos fácias, eius imitatióne, mundi huius blandiménta vitáre, et ad te puris ménti-

tibus perveníre. Per Dóminum.

Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.

Ad Vesperas

Antiphonæ de Communi, psalmi de dominica, sed loco ultimi ps. 116 Laudáte Dóminum.

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Completorium de dominica.

Die 24 iulii

Ss. Ursicini et Wandregisili Confessorum

III classis

[Commune plurium Confessorum non Pontificum versus finem Communis Sanctorum in Breviario.]

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Ursicínus, Columbáni discípulus, ut antíquitus fertur, in monastério Luxoviénsi primum vixit, a quo, magístro e Gálliæ regno expúlso, discédens Evangélium in lacus Nugarolénsis (nunc Biennénsis) fínibus prædicásse dícitur. Deínde, vitæ perfectióris cúpidus, solitúdinem ad Dubim flumen sitam domicílium sibi elégit, ubi, vitam piam humilémque degens, præclárum præbuit exémplum; quo permóti, plures ei erant discípuli, cum anno sescentésimo vicésimo e vita migrávit. — Paucis elápsis annis, Wandregísilus, nóbilis quidam vir ex agro Verdunénsi, facultátibus in pios usus erogátis mundóque relícto, ad sancti Ursicíni túmulum venit ibíque cellam ædificávit. Qua ex cella monastérium, in capítulum subínde mutá-

tum, necnon et oppídulum orìginem et nomen duxérunt. Wandregísilus vero, post várias peregrinatiónes in Gálliam redux et sacerdótio auctus, in monastério Fontanéllæ ab ipso cóndito beáto fine quiévit. Te Deum.

Ad Laudes

℣. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine. ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ad Bened. ant. Egrédere de terra tua * et de domo patris tui et veni in terram, quam mónstrábo tibi.

Oratio

Deus, qui beátos Ursicínum et Wandregisílum Confessóres tuos in mundi contémptu mirábiles effecísti: præsta, quæsumus; ut intercessiónis eórum auxílio fidéles tui terréna despíciant et ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Christinæ Virginis et Martyris:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína, Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iusti confitebúntur.

Ad Magnif. ant. Relíqui domum meam, *

dimísi hereditátem meam, quia bonum mihi est adhærére Deo, pónere in Dómino spem meam.

Oratio Deus, qui beátos, ut supra.

FESTA AUGUSTI

Die 16 augusti

S. Theoduli

Episcopi Sedunensis et Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus,

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Theodúli Confessóris tui atque Pontíficis veneránda sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Die 26 augusti

S. Gebhardi

Episcopi Constantiensis et Confessoris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustum dedúxit.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. (Per Dóminum.)

Deinde fit commemoratio S. Zephyrini Papæ et Mart.:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus intende: et per beátum Zephyrínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 1 septembris

S. Verenæ

Virginis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Veréna virgo labéntis Romanórum impérii tempóribus, in Castéllo Zurzáchio tam sancte vixit, ut eius memória post mortem non interíret, sed ab íncolis Románis pósteris et Alemánnis immigrántibus traderétur. Eius cultus, primo non ita maniféstus, sæculo nono váriis testimóniis, martyrológiis, litaníis, libris de eius vita scriptis, et quidem in circúitu latióri divulgátus, lucidíssime appáruit. Mirum ígitur non est, sanctæ Verénæ sepúlcrum a multis peregrinántibus pétitum eiúsque nómini non Zurzáchii solum, sed et in áliis Helvétiæ Germaniæque paróciis ecclésias et altária dedicáta esse. Perículo témpore infelícis sic dictæ Reformatiónis minánte superáto, cultus dénuo efflóruit et memória litúrgica, in diœcési Basileénsi imprímis præstita, nostra étiam ætáte pérmanet.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, qui beátam Verénam in contemplánda mártyrum passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus, ut, ipsa intercedénte, in nobis flammam caritátis accéndas. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio S. Ægidii Abbatis:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Postea commemoratio Ss. duodecim Fratrum Martyrum:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, sponsa Christi, accípe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Verénam in contémplanda mártyrum passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus, ut, ipsa intercedénte, in nobis flammam caritátis accéndas. Per Dóminum.

Die 2 septembris

Beati Apollinaris a Posat

Martyris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Apollináris, prope Fribúrgum in Helvétia natus, vicésimo tértio ætátis anno in Fratrum Minórum Capuccinórum órdinem recéptus, religiósi hóminis exémplar præbuit. Sacérdos factus, missiónibus pópulo prædicándis — aliquámdiu étiam in convéntu Bruntrutáno cómmorans — se dedit. Plúrimis in convéntibus philosóphiæ theologiæque magíster deputátus ac públicо gymnásio Stántii præpósitus, numquam ab animárum cura abstínuit. Calúmniis fidem morésque eius suspicántibus crudéliter afflíctus, superiórum consénsu Lutétiam Parisiórum ad missiónum Asiaticárum linguas addiscéndas se cóntulit. Necessitátibus germánicæ linguæ fidélium spirituálibus permótus iísque medéri cúpiens, ibi cónstitit. Cum vero paulo post magna perduéllio Ecclésiæ magis magísque adversária exarsísset, innumerósis cum áliis tandem et Apollináris captus est. Ad Carmelitárum ecclésiam in cárcerem mutátam, ubi multis captívis solátio erat, addúctus, vitam suam martýrio coronávit die secúndo septémbris anno millésimo septingentésimo nonagésimo secúndo. Quem Pius undécimus beátis Martýribus adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, fac nos semper filiáli pietáte dilígere: cuius in iúribus propugnándis beátus Apollináris, spíritu fortitúdinis roborátus, ad mortem usque certávit. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Stephani Regis, Confessoris:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Dei
S. Ze
An
man
mur
nam
V.
floré
drus
cábi
Orat
Gre
ætér
ténd
Zepl
rem
mum
pétu
tódi,
Eccl
esse
Dóm

Oratio

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem hábere mereátur gloriósum in cælis. Per Dñm.

Ad Vesperas

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult venire post me, * abneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Oratio

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, fac nos semper diliáli pietáte dilígere: cuius in iúribus propugnándis beátus Apollináris, spíritu fortitúdinis roborátus, ad mortem usque certávit. Per Dóminum.

Bene

Die 22 septembris

Ss. Mauritii et Sociorum

Martyrum

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Maurítius, míli-tum dux christianórum, quibus tradítio antiquíssima Legiónis Thebáicæ nomen impósuit, exeúnte sæculo tértio prope Agáunum cum sociórum número haud exíguo martýrii corónam adéptus est. Quorum ad passiónis memóriam honorándam et conservándam Theodórus, Octodurénsis epíscopus, cuius témpore Sanctórum relíquiæ repértæ sunt, sanctuárium construxit, quod Sigismúndus, Burgundiórum rex, anno quingentésimo décimo quinto in abbatíam elevávit.

Martýrii locus, ad frequéntem viam Montem Iovis transeúntem situs, brevi multos peregrinántes alléxit, qui Maurítii cultum vel in díssitas Gálliæ et póstea étiam Germániæ regiónes divulgavérunt. Eius glória et hæc tulit, ut "Pássio" multis legéndis exornarétur et aliórum locórum mártyres, Maurítii sóciis adscriberéntur. Scriptis et ecclésiis eius nómini dedicátis conserváta, memória eius immortális perdúrat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas, ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Thomæ de Villanova Episcopi et Confessoris:

Ant. Eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus; ut eius intercessióne in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio

Annue, quæsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas, ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum.

Die 25 septembris

S. NICOLAI DE FLÜE

Confessoris, Patroni principalis Helvetiæ

I classis

Ad I Vesperas

Ant. 1 Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum.

2 Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

3 Sitívit * in te, Dómine, ánima mea: ut vidérem in terra desérta glóriam tuam.

4 Sub umbra illíus, * quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo.

5 Erit opus * iustítiæ pax, et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis.

Capitulum
Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus.

Hymnus

Nitóre candens Alpium,
Te, Nicoláe, dícimus,
Cui vita solus éxstitit
Iesus in aris ábditus.

Amóre dio pércitus,
Sæcli dolósis gáudiis
Spretis, erémo cónderis
Deóque inhæres únice.

Qui te stupéndo nútriit
Altáris uno pábulo,

Nobis id ipsum cæli-
cum
Det Manna concupís-
cere;
Sanctis ut usque mó-
ribus
Christi nitéscant ás-
seclæ,
Insons iuvénta flóc-
reat,
Castúmque sit con-
núbium.
Sit Trinitáti glória,
Quæ per lavácrum
mýsticum
Nos tersit atque pálm-
mites
Christo feráces ínse-
rit. Amen.

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem.
℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Os prudéntis * quæritur in cœtu populórum, et verba illíus cogitábunt in córdibus suis.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

Ad Matutinum

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Vértices cantus íterant nivósi,
Adsonant valles nemorúmque saltus,
Gens tibi plaudit pia, Nicoláe,
Helvetiórum.

Te patrem grate Pátriæ salútat,
Quem fides Christi pietásque mira
Extulit terris meritísque onústum
Vexit ad astra.

Miles in bello pius atque fortis,
Iuris assértor rígidus, renátis
Fonte baptísmi documénta præbes
Fúlgida vitæ.

Assidet virtus thálamo iugáli,
Quem verecúndus pudor apparávit,
Quemque natórum récreat coróna
Móribus insons.

Falce dum fenum metis aut ligóne
Arva proscíndis, súperos amóres
In Deum raptus speculánte mente
Cómbibis ardens.

Præstet hoc nobis Pater ac Redémptor
Et Paraclétus prece Nicolái,
Quos pares una Deitáte pronus
Orbis adóret.
Amen

In I Nocturno

Ant. 1 Dóminus * formávit me ex útero servum sibi: et Deus meus factus est fortitúdo mea.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Confessoris non Pontificis.

2 Quæsívi * sapiéntiam a iuventúte mea, et amátor factus sum formæ illíus.

3 Optávi, * et datus est mihi sensus: vocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ.

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem.
℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Sapiéntiæ
Lectio i Cap. 8, 5-7

Si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt magis quam illa est ártifex? Et si iustítiam quis díligit,

labóres huius magnas habent virtútes; sobrietátem enim et prudéntiam docet et iustítiam et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Cum adhuc iúnior essem, quæsívi sapiéntiam in oratióne mea, efflóruit tamquam præcox uva, * Et lætátum est cor meum in ea. ℣. Ambulávit pes meus iter rectum: a iuventúte mea investigábam eam. — Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 8, 9-14

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum, sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis et acútus invéniar in iudício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me. Taceéntem me sustinébunt et loquéntem me respícient et, sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ.

℟. Propter sapiéntiam hábui claritátem ad turbas, * Et in conspéctu poténtium admirábilis fui. ℣. Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea, et amátor factus sum formæ illíus. — Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 8, 15-17

Timébunt me audiéntes reges horréndi; in multitúdine

vidébor bonus et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa; non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam et gáudium. Hæc cógitans apud me et commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ.

℟. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, * Et vidéntes illum laudábunt. ℣. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 1 Dedúxit me Dóminus * in via mirábili: et fuit mihi in velaménto diéi et in luce stellárum per noctem.

2 Pósuit * desértum meum quasi delícias, et in solitúdinem meam quasi hortum Dómini.

3 Lætábitur * desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium.

℣. Iustus in Dómino hereditábit terram. ℟. Et delectábitur in multitúdine pacis.

Pater. Absol. Ipsíus.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Nicoláus de Flüe in Saxulénsi Subsilvániæ pago, Constantiénsis tunc témporis diœcésis, honéstis paréntibus procreátus, singulári prorsus innocéntia pueríles annos exégit. Adoléscens tria sibi per hebdómadam ieiúnia ad sanctórum Nicolái Myrénsis et Tolentinátis imitatiónem indíxit. Divínis étiam contemplatiónibus die noctúque sic erat inténtus, ut solitáriam vitam

summe desideráret, sed suórum votis tandem cedens, matrimónium íniit, quo fílios quinque totidémque fílias procreávit. Milítiam quoque cum sequerétur, sanctæ Catharínæ monastérium in pago Thurgoviénsi ab imminénti incéndio, uti fertur, suo válido intervéntu mire servávit incólume. In pátriam deínde revérsus, suprémum ibídem magistrátum sæpius oblátum constánter recusávit, et præcípue, dum luce instrúctus supérna, sulphúreas flammas in corrúpto iúdicum ore conspíceret.

℟. Ecce elongávi fúgiens et mansi in solitúdine: * Quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte. ℣. Pósuit desértum meum quasi delícias, et solitúdinem meam quasi hortum Dómini. * Quóniam.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum ínterim Deus non desíneret illíus pectus altióris vitæ desidériis succéndere, relíctis ómnibus in vicínam erémum secéssit: ubi vigínti prope annos inusitáta vitæ austeritáte tradúxit: priscórum anachoretárum mirácula et virtútes ita rénovans, ut eius fama permóti longe latéque pópuli ad eum confluxerint. Eísdem annis sine corporáli cibo potúque vitam egit, solo sanctíssimo Christi Córpore refóctus; cuius miráculi veritátem Constantiénsis Proepíscopus certo comprobávit. Assíduo virtútum stúdio et perpétua Domínicæ Passiónis meditatióne dæmonum quidem furórem in se concitávit vehementíssimum, sed neque defuérunt ei cæléstes visiónes, quas inter illústrior illa fuit, quando sanctíssima Trínitas in rotæ fulgéntis spécie sese ei obiécit, et tantam divinórum radiórum arcanæque sapiéntiæ cópiam in eum profúdit, ut in vultu ipsíus insólitus splendor ad mortem usque viderétur. Accedéntes ad se, populáres máxime suos, multis salutáribus mónitis erudívit, potíssimum eos exhórtans ad Sedis Apostólicæ et Cleri observántiam ac præcípue ad dignos fructus feréndos pæniténtiæ, quam ipse vultu et córpore prorsus emaciáto, rudi quoque túnica, nudis semper pédibus et cápite, efficacíssime prædicábat. Prophetíæ dono emínuit: futúra et occúltas hóminum cogitatiónes non raro perspéxit.

℟. Os prudéntis quæritur in cœtu populórum: * Et verba illíus cogitábunt in córdibus suis. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Sarnam, præcípuum Silvæ Superióris pagum, gravi incéndio crucis signo íllico exémit. Illud quoque memorándum est, quod post insígnem victóriam ab octo Helvétiæ pagis de potentíssimo Burgúndiæ duce partam, cum inter ipsos fœderátos haud levis exórta esset dissénsio, quæ nonnísi ferro iam viderétur decernénda, beatíssimus senex eos fórtiter simul ac suá-

viter cohortátus, ad concórdiam brevi perdúxit: dignus plane qui idcírco auctor pacis et pátriæ pater a pósteris merúerit nominári. Demum anno octogésimo séptimo supra millésimum quadringentésimum, gravíssimo morbo cruciátus, in ássere, quo toto erémi témpore pro léctulo usus fúerat, procúmbens, placidíssime óbiit die vicésima prima mártii. Sacrum eius corpus in Saxulénsi paróchia cónditum et miráculis nobilitátum, magno Helvetiórum et exterórum accúrsu cólitur; quod étiam cum sanctus Cárolus Borromæus invíseret, Nicoláum exímium sanctum pronuntiáre non dubitávit. Cultum vero Beatórum a fidélibus pópulis ei semper præstitum Innocéntius papa décimus ratum hábuit et confirmávit; Pius duodécimus dénique beátum Nicoláum in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Nominátum est nomen glóriæ eius usque ad extrémum terræ; fecit pacem super terram, * Et lætátus est pópulus eius lætítia magna. ℣. Exaltávit illum Dóminus apud próximos suos. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 1 Qui operátur iustítiam * et lóquitur veritátem, requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Desidérium * ánimæ eius tribuísti ei, Dómine: quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

3 Non recédet * memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem.

℣. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundávit. ℟. Et consílium eius sicut fons vitæ.

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 64 in Matth. n. 1-2

Diligénter expénde quam exquisíte duo illa, quæ Christus a dívite pétiit, ut scílicet paupéribus substántiam distribúeret suam et sequerétur Christum. Petrus bréviter compléxus est, dicens: Relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Ambo enim hæc facta iam erant, nam sua reliquérunt, ut ipsum sequeréntur; et eo quod ómnia reliquérunt, sequi facílius potuérunt. Et quóniam reliquérunt, confídere atque gaudére ipsos admonébat.

℟. Fortitúdo mea et refúgium meum es tu: *Et propter nomen tuum dedúces me et enútries me. ℣. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam perfecísti eis, qui sperant in te. — Et.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Quid ígitur Christus respóndet? Amen dico vobis, quia vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duó-

decim. An ígitur et Iudas sedébit? Mínime. Quómodo ígitur in duódecim sédibus sedébunt? Quómodo pollicitátio hæc adimplébitur? Atténde quómodo. Non dixit solúmmodo, Sedébitis et vos; sed adiécit, Qui me secúti estis; ut et Iudam eíciat, et posterióres áttrahat.

℟. Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ: * Sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. ℣. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorórem, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. — Sedébitis. Glória Patri. Sedébitis.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Cum autem dicit: Quicúmque relíquerit uxórem, non simplíciter præcipit diriménda esse matrimónia. Sed, sicut in superióribus dicébat: Qui perdit ánimam suam propter me, invéniet ipsam, non ut nosmetípsos interimámus, neque ut ánimam nostram a córpore disiungámus; sed ut religiónis pietátem céteris ómnibus anteferámus, ita de uxóre quoque ac frátribus intellegéndum est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas minores

Ant. 1 Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

Psalmi de dominica.

2 Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

3 Sitívit * in te, Dómine, ánima mea: ut vidérem in terra desérta glóriam tuam.

4 Sub umbra illíus, * quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo.

5 Erit opus * iustítiæ pax, et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis.

Capitulum Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo placet Deo et probátus est homínibus.

Hymnus

Vir, pater felix, stímulis supérnis
Actus, uxórem puerósque linquis,
Tendis et montis tácito recéssu
Cóndere vitam.

Córporis quavis dape denegáta,
Rebus ætérnis inhiáre gaudes,
Esca fit vitæ tibi Christus unus
Abditus aris.

Sic pias mundi scelerósa facta,
Pátriæ tutum cólumen futúrus,
Cæde quam fœda próhibes, sequéster
Pacis amícæ.

Sede nunc cæli rútila recéptus
Ut fidem Petri tueámur, ora;
Dévios fratres révoca, labántes
Róbore firma.

Géntibus pacis bona comprecáre,
More fac casto thálamus nitéscat,
Et latens nobis étiam sit aris
Vívere Christus.

Præstet hoc nobis Pater ac Redémptor
Et Paraclétus prece Nicolái,
Quos pares una Deitáte pronus
Orbis adóret.
Amen.

℣. Longe divulgátum est nomen tuum.
℟. Et diléctus es in pace tua.

Ad Bened. ant. Illumináv it me Dóminus * óriens ex alto: ad dirigéndos pedes meos in viam pacis.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

Ad Horas minores psalmi de dominica; ad Primam tamen ut in festis.

Ad Primam

Ant. Cantábo Dómino, * qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit me per grátiam suam.

Ad Tertiam

Ant. Cum adhuc iúnior essem, * quæsívi sapiéntiam in oratióne mea; et lætátum est cor meum in ea.

Capitulum
Rom. 14, 17-18

Fratres: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus.

℟. br. Sápiens in pópulo * Hereditábit honórem. Sápiens. ℣. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum. Hereditábit. Glória Patri. Sápiens.

℣. Iustus in Dómino hereditábit terram. ℟. Et delectábitur in multitúdine pacis.

Ad Sextam

Ant. Sitívit * in te, Dómine, ánima mea: ut vidérem in terra desérta glóriam tuam.

Capitulum Rom. 14, 19

Itaque quæ pacis sunt sectémur: et quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus.

℟. br. Iustus in Dómino * Hereditábit terram. Iustus. ℣. Et delectábitur in multitúdine pacis. Hereditábit. Glória Patri. Iustus.

℣. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundávit. ℟. Et consílium eius sicut fons vitæ.

Ad Nonam

Ant. Erit opus * iustítiæ pax, et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis.

Capitulum Rom. 15, 5-6

Deus autem patiéntiæ et solácii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Iesum Christum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

℟. br. Sciéntia sapiéntis * Tamquam inundátio abundávit. Sciéntia. ℣. Et consílium eius sicut fons vitæ. Tamquam. Glória Patri. Sciéntia.

℣. Longe divulgátum est nomen tuum. ℟. Et diléctus es in pace tua.

Ad II Vesperas

Omnia ut in I Vesperis 25, præter sequentia:

℣. Longe divulgátum est nomen tuum. ℟. Et diléctus es in pace tua.

Ad Magnif. ant. Cibávit illum Dóminus * pane vitæ et intellectus, et aqua sapién-

tiæ salutáris potávit illum; et exaltávit illum apud próximos suos in ætérnum, allelúia.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

Et fit commemoratio sequentis, ut infra.

Completorium de dominica.

Die 26 septembris

In Dedicatione ecclesiæ cathedralis Solodori

I classis

Omnia de Communi Dedicationis.

Pro commemoratione Dedicationis in II Vesperis præcedentis:

Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad Laudes

℣. Hæc est domus.

Ad Bened. ant. Zachæe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére: at ille festínans descéndit et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

Ad Vesperas

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. ant. O quam metuéndus est * locus iste: vere non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli.

Die 30 septembris

Ss. Ursi, Victoris et Sociorum

Martyrum, Patronorum ecclesiæ cathedralis et Patronorum principalium diœcesis Basileensis

I classis

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter ea, quæ hic habentur propria.

Pro commemoratione ad II Vesperas Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

Ant. O Christi Miles cum sóciis Urse lætáre, qui victis hóstibus palma fruéris vitæ; clerum fove atque, iúbilans in ætheris arce, salva, rege, prótege, princeps Patróne, famulántes súpplices.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beatórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum gloriósa passióne consecrásti: præsta, quæsumus: ut eórum suffrágia sentiámus in cælis, quorum pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Ad Matutinum

Invit. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Christo profúsum sánguinem,
Et Mártyrum victórias,
Dignámque cælo láuream
Lætis sequámur vócibus.

Terróre victo sæculi
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres
Et bestiárum déntibus;
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur;
Sed pérmanent immóbiles,
Vitæ perénnis grátia.

Te nunc, Redémptor, quæsumus,
Ut Mártyrum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno lectiones Fratres: Debitóres, de Communi.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsius.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ursum et Victórem mílites Romános exeúnte sæculo tértio in castro Solodoráno pro Christi nómine passos et in loco, ubi póstea sancti Petri sacéllum ædificátum est, sepúltos esse, antiquíssima refert tradítio. Quæ póstea, lítteris Euchérii epíscopi Lugdunénsis téstibus, mártyres sancti Maurítii sóciis adscrípsit. Cum Burgundórum domus régia speciálem erga sic dictos Mártyres Thebáicos religiónem fovéret, Sedeléuba, regis fília, sancti Victóris relíquias Gebénnam transférre curávit. Traditiónis vero simul ac cultus monuméntum firmíssimum ecclésia collegiáta est, quam Karolingórum stirps régia sæculo octávo Solodóri fundávit. Quo sanctuário in ecclésiam cathedrálem eleváto, Ursus et Victor diœcéseos Basileénsis Patróni facti sunt.

℣. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra appáruit.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v (De Commun Sermo S. Ioannis Chrysostomi)

Nemo est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur; ut, dum hæc ita celebrári perspícimus, cognoscámus, quanta eos glória máneat in cælis, quorum natalícia táliter celebrántur in terris; quo possímus étiam ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide; ut, Christo præstánte, dimicáre et víncere hostem possímus, ut, parta victória, cum iísdem Sanctis in re-

gnis cæléstibus triumphémus.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Quis est enim, qui, eórum volens mérito copulári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis; eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat aut exquírat? Qui etsi martýrio par esse non possit, tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desideántibus suis aut martýrium præbeat, aut, sine martýrio, cum Sanctis prǽmia divína retríbuat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intéllegent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri; opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 35 in Evang. med.

Omnia, quæ ad usum vitæ accépimus, ad usum convértimus culpæ; sed cuncta, quæ ad usum pravitátis infléximus, ad usum nobis vertúntur ultiónis. Tranquillitátem quippe humánæ pacis ad usum vértimus vanæ securitátis. Peregrinatiónem terræ pro habitatióne dilígimus pátriæ. Salútem córporum redígimus in usum vitiórum. Ubertátis abundántiam non ad necessitátem carnis, sed ad perversitátem intórsimus voluptátis. Ipsa seréna blandiménta áëris ad amórem nobis servíre coégimus terrénæ delectatiónis. Iure ergo restat, ut simul nos ómnia fériant, quæ simul ómnia vítiis nostris male subácta serviébant: ut quot prius in mundo incólumes habúimus gáudia, tot de ipso póstmodum cogámur sentíre torménta.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis et una fides. ℣. Ecce quam bonum, et quam iucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Bened. Quorum festum... ipsi.

Lectio viii

Quia autem cuncta hæc non de iniustítia feriéntis sunt, sed de mérito mundi patiéntis, facta pravórum hóminum præmittúntur, cum dícitur: Sed ante hæc ómnia incípient vobis manus suas inícere, et persequéntur, et tradent vos in synagógis, ducéntes ad

reges, et præsides propter nomen meum. Ac si apérte dicat: prius corda hóminum, et post eleménta turbántur; ut cum rerum ordo confúnditur, ex qua iam retributióne véniat, demonstrétur. Nam quamvis finis mundi ex ipso suo órdine péndeat, perversiónes tamen quosque invéniens quia digne ruínis illíus opprimántur, innotéscit.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis; * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Sed audítis tot terróribus turbári póterant infirmórum corda: atque ídeo consolátio adiúngitur, cum prótinus subinfértur: Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis; ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Ac si apérte membris suis infirmántibus dicat: Nolíte terréri, nolíte pertiméscere; vos ad certámen accéditis, sed ego prælior; vos verba éditis, sed ego sum, qui loquor.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas minores

Ant. 1 Omnes sancti, * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martýrii!

Psalmi de dominica.

2 Cum palma * ad regna pervenérunt sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt: et vivent nómina eórum in ætérnum.

4 Mártyres Dómini, * Dóminum benedícite in ætérnum.

5 Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de cælis, allelúia.

Capitulum Hebr. 11, 33

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Piórum sacra Mártyrum
Solémnitas iam émicat,
Qui mundi spreto príncipe
Beáta regna póssident.

Cælésti fulti grátia
Sprevérunt mundi gáudia
Afflícti pœnis grávibus
Se præbuére gládiis.

Adúrit tortor ímpius
Sanctórum artus ígnibus;
Cruóre fuso víscerum
Sumpsérunt palmas glóriæ.

Sanctórum ergo précibus
Precémur omnes Dóminum,
Ut nobis donet véniam
Necnon cælórum gáudia.

Sit laus Patri cum Fílio
Et Spíritu Paráclito,
Tibíque, sancta Trínitas,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened ant. Martýribus sanctis Urso et Victóri * ánnua demus præcónia, quorum méritis nobis obvéniant cælica gáudia.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beatórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum gloriósa passióne consecrásti: præsta, quæsumus; ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cælis, quorum pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Ad Horas minores, psalmi de dominica; ad Primam tamen ut in festis.

Ad Primam

Ant. Omnes Sancti, * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martýrii!

Ad Tertiam

Ant. Cum palma * ad regna pervenérunt Sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

Capitulum Hebr. 11, 33

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes in Christo Iesu Dómino nostro.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte iusti. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam

Ant. Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt; et vivent nómina eórum in ætérnum.

Capitulum Hebr. 11, 36-37

Sancti ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, et in occisióne gládii mórtui sunt.

℟. br. Exsúltent iusti * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam

Ant. Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de cælis, allelúia.

Capitulum Sap. 3, 6

Tamquam aurum in fornáce probávit Dóminus sanctos suos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

℟. br. Iusti autem * In perpétuum vivent. Iusti. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Iusti.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad II Vesperas

Antiphonæ et psalmi de Communi plurimorum Martyrum.

Capit. Sancti per fidem, ut supra.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclita gáudia
Pangámus sócii, gésta que fórtia:
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos fátue mundus abhórruit:
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum,
Contempsére tui nóminis ásseclæ,
Iesu Rex bone Cælitum.

Hi pro te fúrias, atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera:
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium:
Non murmur résonat, non querimónia;

Sed corde impávido
mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere,
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine fúlgidis
Cingunt témpora láureis.

Te summa o Déitas, únaque póscimus;
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, ut tibi glóriam
Annórum in sériem canant.

Amen.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Insígnes Mártyres Christi, Victor et Urse, servórum vota vestrórum suscípite, quæsumus, et in conspéctu ætérni Regis offérte, pétimus, ut nobis sit propítius.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beatórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum gloriósa passióne consecrásti: præsta, quæsumus; ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cælis, quorum pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

FESTA OCTOBRIS

Die 1 octobris

S. Hieronymi
Presbyteri, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris

III classis
(e die 30 septembris)

cum com. S. Remigii Episcopi et Confessoris (hac die).

Die 2 octobris

S. Leodegarii
Episcopi et Martyris

Commemoratio

Ad Laudes

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per Dóminum.

Die 16 octobris

S. Galli
Abbatis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Gallus, Scotus orígine, circa annum quingentésimum quinquagésimum natus, Columbáno duce in monastério Benchorénsi institútus et ob ingénii facultátes sacerdótio præditus est. Humilitátis stúdio addúctus, magístrum sequens e pátria discéssit et illum primum in Francórum regnum proficiscéntem, deínde e Luxoviénsi monastério pulsum ad Alemánnos prosecútus est. Postquam autem in regióne vici, qui appellátur Tuggen, Evangélium prædicavérunt et fanis dissipándis paganórum ódium excitavérunt, Arbónam fugérunt, ubi Willimárus sacérdos eos hospitáliter accépit. Quo suadénte ad Brigántiam consedérunt. Triénnio ibi in prædicándo

Evangélio consúmpto, Columbánus Bóbbium profáctus est. Gallus autem, morbo coáctus, apud Alemánnos remánsit. Willimári cura recreátus, in secrétam tunc vallem, per quam Steinach amnículus fluit, solitúdini se mandávit. Quam ne tum quidem relíquit, cum ei Episcopátus Constantiénsis et abbatía Luxoviénsis obláti sunt. Arbónæ circa annum sescentésimum quadragésimum mórtuus est. Ex eius autem cella ad Steinach flúvium sita monastérium claríssimum Sancti Galli orígnem duxit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Galli Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Hedwigis Viduæ:

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sæculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut eius méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Intercéssio, ut supra.

FESTA NOVEMBRIS

Die 3 novembris

S. Idæ
Virginis

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii (De Communi)

Quóniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus; ne véluti tránsitu quodam præstricta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in Martýribus reperítur; sed quia ipsa Mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúræ sit? E cælo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit e cælo, quæ Sponsum sibi invénit in cælo.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, qui beátam Idam sanctárum tuárum vírginum collégio aggregáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus; ut eius précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ maiestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Die 13 novembris

S. Himerii

Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Himérius in vico Lugnez, non longe ab óppido Bruntrutáno, sicut refert tradítio, natus est. Sæculo séptimo vel octávo, in Susíngæ flúvii vallem venit, cuius primus Evangélii præco dici méruit. Ifícolæ, eius non oblíti, pago circa túmulum oriúndo Sancti Himérii nomen imposuérunt et sæculo undécimo prope Sancti Martíni eclésiam álteram eius memóriæ dedicátam construxérunt, quæ sæculo sequénti in collegiátam promóta est. Cultus per peregrínos reliquiísque distribútis in vicínas

et dissitas regiónes propagátus, ubi nonnúllæ ecclésiæ et altária in eius honórem erécta sunt, diœcési Basileénsi custóde ad nostros usque dies pervénit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benéd. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus céntuplum in hoc sæculo, et in futúro ætérnam vitam promisísti: concéde, quæsumus; ut sancti Himérii Confessóris tui vestígiis inhæréntes, peritúra despiciámus et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Didaci Confessoris:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári meréamur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mun-

dum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus céntuplum in hoc sæculo, et in futúro ætérnam vitam promisísti: concéde, quæsumus; ut sancti Himérii Confessóris tui vestígiis inhæréntes, peritúra despiciámus et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Die 16 novembris

S. Otmari

Abbatis S. Galli

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Otmárus, orígine Alamánnus, sæculo exeúnte séptimo haud procul ab eo, quo póstea vixit, loco natus esse vidétur. Cúriæ Rhætórum, quo iam puer delátus erat, ad sacerdótium institútus, eo múnere ad ecclésiam sancti Floríni primum fungebátur. Cellam sancti Galli, cui præésse vocátus est, ad dignitátem et amplitúdinem monastérii prodúxit eiusdémque ergo fundátor éxstitit. Quo abbáte régula sancti Benedícti, Pippíno rege Francórum cogénte, recépta est. Otmárus cum monastérii sui iura possessionésque a Sidónio, epíscopo Constantiénsi, comitibúsque Waríno et Ruthárdo vindicáret, adversáriis potentióribus succúmbens ab abbatía depósitus et eódem anno septingentésimo undesexagésimo in ínsula Werd, quo deportátus erat, mórtuus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Otmári Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Gertrudis Virginis:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas; invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis iucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsíus méritis et intercessióne; cordis nostri máculas cleménter abstérge, et eiúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Intercéssio, ut supra.

Die 26 novembris

S. Conradi

Episcopi Constantiensis et Confessoris

III classis

Ad Matutinum

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Conrádus, sæculo décimo Henríco cómiti Altorffiénsi natus, æqua géneris ac ingénii claritáte præditus, Nothíngo magístro in múnere episcopáli Ecclésiæ Constantiénsis fungéndo succéssit. Cui amplíssimæ diœcésium Germániæ "formam se gregis ex ánimo" præstans plus quadragínta annis præérat. Quanto Dei animarúmque salútis zelo flagráverit, ex eo cólligi licet, quod ecclésias faciéndas curávit, semel atque íterum in Terram Sanctam migrábat, paupéribus próvidens ásylum ádvenis peregrinantibúsque ædificáre iussit. Conrádus, cum anno nongentésimo septuagésimo quinto mórtuus esset, patrónus diœcésis Constantiénsis eléctus est, qua dignitáte gregi suo ultro consúleret. In primo Concílio Lateranénsi Conrádus Sanctórum catálogo inscríptus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Conrádi Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Silvéstri Abbátis:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem sæculi huius vanitátem in apérto túmulo pie meditántem ad erémum vocáre, et præcláræ vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut eius exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. (Per Dóminum.)

Deinde commemoratio S. Petri Alexandrini Episcopi et Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Exáudi, quæsumus, ut supra.

Die 22 iulii

In pago Thurgoviensi et Schaffhusensi

In Dedicatione propriæ ecclesiæ

I classis

Omnia de Communi Dedicationis.

Ad I Vesperas

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad Laudes

℣. Hæc est domus.

Ad Bened. ant. Zachǽe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

Ad II Vesperas

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. ant. O quam metuéndus est * locus iste: vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Die 5 augusti

In pago Tugiensi

S. Oswaldi

Martyris, Patroni civitatis Tugiensis

I classis

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ hic habentur propria

Ad I Vesperas

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui huius diéi iucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis martýrio consecrásti: da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum; ut cuius glorió-sum fídei certámen admirámur, constántiam usque ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum

In I Nocturno lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum cum responsoriis de Communi unius Martyris.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsius.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Oswáldus Ethelfríti, Northúmbriæ regis fílius, circa annum sescentésimum quintum natus est. Patre in prœlio cum Británnis ínito occíso regnóque ab usurpatóre subláto, una cum fratre in Scótiam fugit, ubi ab Ionénsibus mónachis in fide christiána erudítus et baptizátus est. Anno sescentésimo tricésimo quarto, post Cadvállæ Britannórum regis mortem, re-

gnum recuperávit, atque non solum Northúmbriæ potestátem, sed et præeminéntem apud álias Británniæ províncias auctoritátem obtínuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Potestáte sua usus est, ut Christi fidem inter regni súbditos propagáret. Itaque a monastério Ionénsi missionários arcessívit, qui, Aidáno duce, paulátim totam Northúmbriam Christo lucrifecérunt. Evangélii prædicatiónem autem Oswáldus vita exemplári, imprímis cleméntia beneficentiáque sua, haud parum adiúvit et in províncias vicínas diffúdit.

℟. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. — Et.

Bened. Ignem sui ámoris.

Lectio vi

Bello suscitáto contra Pendam, Merciórum regem, Oswáldus anno sescentésimo quadragésimo secúndo pugnans cécidit. Statim post eius mortem, cultus eius in Británnia exórtus est. Quem cultum apóstoli, qui a Británnia ad Germanórum gentes converténdas veném-

runt, simul cum Evangélio patefecérunt, ita ut Oswáldus inter Sanctos pópulo gratíssimos et eius vita magnópere evulgáta esset. Sanctum Oswáldum, ut áliæ multæ, et Tugiénsium cívitas patrónum cæléstem elégit eíque sæculo décimo quinto sanctuárium insígne dedicávit.

℟. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit supercaputeius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno homilia in Evangelium Si quis venit de Communi unius Martyris I loco.

Ad Laudes

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui huius diéi iucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis martýrio consecrásti: da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum, ut cuius gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam usque ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Ad II Vesperas

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam et sequátur me.

Die 22 septembris

In civitate Lucerna

S. Mauritii et Sociorum

Martyrum,

Patronorum civitatis Lucernæ

I classis

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hic habentur propria.

Ad I Vesperas

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnif. ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

Annue, quǽsumus, omnípotensDeus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum

In I Nocturno lectiones Fratres: Debitóres, de Communi.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsius.
Bened. Deus Pater.

Ex Epístola sancti Euchérii Epíscopi ad Sálvium Epíscopum

Lectio iv

Sub Maximiáno, qui Románæ reipúblicæ cum Diocletiáno colléga impérium ténuit, per divérsas fere província laniáti aut interfécti sunt mártyres pópuli... Erat eius in exércitu légio mílitum, qui Thebæi appellabántur... Itaque, cum hi, sicut et céteri mílitum, ad pertrahéndam Christianórum multitúdinem destinaréntur, soli

crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque huiúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant. Eo cógnito, Maximiánus, qui se circa Octodúrum itínere fessus tenébat, præcípiti ira férvidus Agáunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliário inter alpína iuga conséderant, et décimum quemque ob neglécta impéria gládio feríri iubet; redintegratísque mandátis edícit, ut réliqui in persecutiónem Christianórum cogántur. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio passim in castris exóritur affirmántium numquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros... His compértis, Maximiánus ímperat, ut íterum décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad ea, quæ spréverant, compelleréntur. Quibus iussis dénuo in castra perlátis, segregátus est atque percússus qui décimus sorte obvénerat; réliqua vero se mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísterent.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrántes inundavérunt. — Terra.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Incitaméntum máximum fídei penes sanctum Maurítium fuit, primicérium tunc

legiónis, qui cum Exupério campiductóre et Cándido senatóre mílitum accendébat, exhortándo síngulos et monéndo fidem... His ítaque primóribus suis atque auctóribus animáti, Maximiáno mandáta mittunt, sicut pia, ita et fórtia, in hunc modum: Mílites sumus, imperátor, tui, sed tamen servi, quod líbere confitémur, Dei: tibi milítiam debémus, illi innocéntiam... Sequi te imperatórem in hoc nequáquam póssumus, ut auctórem negémus, Deum útique auctórem nostrum, Dóminum auctórem, velis nolis, et tuum... Et nunc non nos vel hæc última vitæ necéssitas in rebelliónem coégit, non nos advérsum te, imperátor, armávit, ipsa saltem, quæ fortíssima est in periculis, desperátio. Tenémus ecce arma, et non resístimus: quia mori quam occídere satis málumus, et innocéntes interíre quam nóxii vívere peroptámus. Si quid in nos ultra statúeris, si quid adhuc iússeris, si admóveris ignes, torménta, ferrum, subíre paráti sumus, Christiános nos fatémur, pérsequi Christiános non póssumus.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Cum hæc tália Maximiánus audísset, obstinatósque in fide Christi cérneret eórum ánimos, despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia omnes intérfici decrévit, et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus iubet. Qui cum missi ad beatíssimam legiónem veníssent, stringunt in Sanctos ímpium ferrum, mori non recusántes vitæ amóre, sed depósitis armis, cervíces persecutóribus et iúgulum vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsa suórum multitúdine, non armórum munitióne eláti sunt, ut ferro conaréntur asséreré iustítiæ causam; sed hoc solum reminiscéntes, se illum confitéri, qui nec reclamándo ad occisiónem ductus est, et tamquam agnus non opéruit os suum, ipsi quoque tamquam grex Dominicárum óvium, laniári se tamquam ab irruéntibus lupis passi sunt. Sic interfécta est illa plane angélica légio.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intéllegent veritátem: et fidéles in diléctione acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno homilia in Evangelium Cum audiéritis, de Communi 1 loco.

Ad Laudes

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Annue, quæsumus omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum eius nos lætíficet festíva sollémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sæcula sæculórum.

Ad II Vesperas

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Die 2 octobris

In pago Lucernensi

S. Leodegarii

Episcopi et Martyris Patroni civitatis Lucernensis

I classis

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hic habentur propria.

Ad I Vesperas

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per Dóminum.

Ad Matutinum

In I Nocturno lectiones A Miléto, de Communi.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsius.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Leodegárius, ineúnte sæculo séptimo in Francórum regno ex nóbili stirpe natus, a Didóne, Pictaviénsium epíscopo, avúnculo suo, ad eius diœcésim moderándam adhíbitus est. Monastério sancti Maxéntii uti abbas præféctus, consuetudínibus suæ ætátis se submíttens, ad aulam régiam venit, ubi, inter senatóres eléctus, Bathíldim regínam in administrándo regno adiúvit. Cuius regínæ favor et æstimátio eum ad sedem Augustodunénsem promóvit. Sui gregis salútem inténdens, id egit ut, sýnodo convocáta, ecclésiæ disciplínam restitúeret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Francórum regnum eo témpore, rege quavis potestáte carénte, ab Ebroíno, Maióre Domus, qui ómnium iura ac libertátes suppréssit, vexátum est. Leodegárius, pro sua auctoritáte amoréque iustítiæ, ab eórum concílio aliénus non erat, qui tyránnum a regímine amovére conáti sunt et

adversárium victum in monastérium Luxoviénse inclúdi coegérunt. Omnium fidúcia gaudens, ad Maióris Domus dignitátem pro regni parte Burgundíaca ascéndit, quo in múnere iustítiam in aula régia deféndit.

℟. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Childerícus autem rex, consiliárium sóbrium paulátim fastídiens, eum coniuratiónis accúsans in exsílium ire coégit. Rege occíso, Leodegárius, sed et Ebroínus páriter, exsílii locum relíquit. Qui, potestáte prióre recuperáta, ulciscéndi occasiónem datam non prætermísit. Cópiis missis, Leodegárius, ut gregi párceret, ultro se trádidit. Ebroínus non conténtus, quod adversárium óculis linguáque privávit, eum per servílium episcopórum tribúnal ab offício episcopáli remóvit et morte damnávit. — Cultus sancti Leodegárii, paulo post mortem exórsus, imprimísque in Alsátia propagátus, ab abbátia Murbacénsi Lucérnam translátus est, ubi Leodegárius monastérii primum et deínde civitátis patrónus cæléstis factus est.

℟. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit supercaputeius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 80 in S. Ioannem

Iste locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ nosque membra eius, mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus. Uníus quippe natúræ sunt vitis et pálmites. Propter quod, cum esset Deus, cuius natúræ non sumus, factus est homo ut in illo esset vitis humána natúra, cuius et nos hómines pálmites esse possémus.

℟. Coróna áurea super caput eius, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Quid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprie-

tátem, quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera huiúsmodi; quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit: Ego sum vitis vera, ab illa se útique discérnit, cui dícitur: Quómodo convérsa es in amaritúdinem vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ego sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait: Pater maior me est. Secúndum autem id, quod ait: Ego et Pater unum sumus; et ipse agrícola est; nec talis, quales sunt, qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam, neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat; sed, qui increméntum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum; unde ipse et Pater unum sunt. Et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per Dóminum.

Ad II Vesperas

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Die 5 octobris

In pago Lucernensi

Ss. Angelorum Custodum

III classis

(e die 2 octobris)

cum com. Ss. Placidi et Sociorum Martyrum, ut in Breviario hac die.

Die 10 octobris

In pago Lucernensi

Die 15 octobris

In pago Argoviensi

Die 12 novembris

In pagis Basileensi, Bernensi et Solodorensi

In Dedicatione ecclesiæ propriæ

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Ad I Vesperas

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum

suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum nostrum.

Ad Laudes

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Bened. ant. Zachæe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

Ad II Vesperas

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. ant. O quam metuéndus est * locus iste: vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Imprimé en Belgique
par Desclée & Cie, Editeurs, S. A., Tournai — 10.641

Novam hanc editionem [illegible]ilœensis ad normam et mentem novi codicis [illegible] conformatam per præsentes manu nostra subscriptas sigilloque nostro munitas approbamus evulgandique licentiam damus.

Solodori, die 1 octobris 1961

Franciscus von Streng
Epps. Basileensis et Luganensis

Aloysius Rudolf von Rohr
Cancellarius Episcopalis

Sacra Rituum Congregatio approbationem concessit die 29 ianuarii 1962 (Prot. N.B. 46/961)

Printed in Belgium